# QUÆSTIO MEDICA,

## *CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis vigeſimâ-tertiâ Aprilis.*

## M. NICOLAO RAINSSANT, Doctore Medico, Moderatore.

### *An Cometa morborum prænuntius?*

I.

SOLEM haud impropriè dixeris cor mundi aſpectabilis: in illius quippe medio poſitus lumen ſuum quaſi vitales ſpiritus quaquaverſum diffundit. Ab hoc lucem paulò plus quàm ex ſui medietate accipit Terra directam, aut obliquam, unde anni tempeſtates, prout ſtatâ periodo nunc hàc nunc illàc circa ſolem agitatur. Nec magis ſunt audiendi, qui ſtante Terrâ ſolem circumagi contendunt, quàm pueri, qui cimbâ delati hâc immotâ moveri littora jurarent. Quod quidem hypotheticè ſaltem hîc propugnandum venit. Solis materia, ut nulla alia, ſubtiliſſima, dum circa ſuum axem concitatiſſimo impetu fertur, quidquid in ſuo ambitu ac vortice continetur, movet atque convertit, unde Terræ, ac Planetarum motus repetendi. Nec parum interea auræ illius tenuiſſimæ à ſole per ingentes cœli fornices continuò excutitur, quæ aliunde in ſolem refluxura eſt propriâ lege naturæ, nullo metu vacui, quod natura haud equidem metuit, interjectum tamen admittit. Sic totam infuſa per artus mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet. Hinc rerum naturalium ortus, interituſque; hinc ſol & homo generant hominem, homo, inquam, concurrente utroque ſemine prolifico, animâque non ante conformationem accedente. Hinc Univerſa colluſtrari intelliguntur, quatenùs ſolaris illius auræ vim, variamque refractionem oculi noſtri excipiunt.

I I.

DUM sol radiis suis è globo terraqueo halitus sursum impellit (nullam enim attractionem novit natura) Meteora facit, in aqueis condensatis pluvias; dilatatis ventos; congelatis parelia; in igneis fulmina; Et quæ flammæ visæ sunt imitari Capras, Faces, Hastas, Clypeos, cæteraque sublimium ignium prodigia, inter quæ nullus Cometis est locus. Neque enim usquam Cometam parit exhalatio, quæ ad summum aërem evecta cœlestium corporum motione accendatur, luceat, moveatur, stellæque, cui supposita est, crines affingat, quod Aristoteli visum est. Nec fœliciùs à Pythagoræis deprehensus est octavus, & insolitus Planeta Electra dictus, cui adsit Appendix lucida ab humore attracto, in quem Solis radii refringantur. Nec placet Commentum Anaxagoræ de incursione Planetarum, unde collisio, & flamma sequatur; aut Heracliti de nube sublimi à sublimi luce illustratâ; aut Democriti de mutuo Siderum fulgore, quo modo è speculis multis in se reflectentibus nescio quid stellæ simile resilire videtur, atque splendescere. Nec rationi magis congruunt ex Recentioribus Galilæus, qui summæ exhalationi illustratæ Cometæ originem ascribit; Snellius, qui maculæ è Solis globo eructatæ; Keplerus, qui moli cuidam ex æthere presso, cujus apex fiat vi lucis trajicientis, continuóque effluxu tandem exolvatur.

I I I.

UNIVERSA Mundi Machina indefinitè patet, nullisque quoad captum nostrum limitibus atque cancellis circumscribi videtur. Stellæ per illam sparsæ fixæ sunt. Singulæ Solis materiam, motum, & conditionem obtinent. Propriâ tamen suâ micant luce sibi ipsæ soles, ac toti suo vortici, ut illis sol stella. Numera stellas, si potes. Ausus est Hipparchus, increpante Plinio, quasi rem tentasset etiam Deo improbam. Suum sibi Vorticem habent quælibet stellæ mirâ inter se concinnitate respondentem, ut nullius motus proximum quemque interturbet. Maculæ ferè ex illis ebulliunt, cujusmodi etiam in Sole observantur. Hæ levi quodam velo, si quando stellam infuscent, tenebricosa videbitur, donec excussâ caligine nitorem receperit. Crustâ autem invalescente, stellaque quasi cortice suffocata, tumque motûs tardioris particeps facilè à proximis stellarum gurgitibus de suo Regno disjecta, atque per

Ingentes vicinorum orbium anfractus præcipitata in Cometam descíscit, atque facessit. Hic jam Planetarum modo nonnisi mutuatâ fulget luce, nec priùs cadit in conspectum, quàm ad Cœli nostri Convexitatem appulerit, non secùs ac pisces in oculos nostros non incurrunt, nisi cum ad proximum nobis littus accedunt. Ab hujus Cœli motu in ulteriorem rejectus Cometa paulatim ac sensim sine sensu evanescere putatur, nec priùs tamen desinit obtutum nostrum effugiens, quàm illius materia longo itineris tractu detrita in vicinos Cœlos abeat, ab illisque absorbeatur.

IV.

COMETÆ Crines à magnâ, variâque luminis ab ipso Cometâ ad nos refractione exurgunt. Longè minor hæc refractio in Planetis illorum appendicem, si quæ sit, non sinit ad nos pervenire. Saturni molem æquat aut superat quicumque vel minimus observari potest Cometa. Multis Terræ Diametris à nobis distat. Cumque singuli hujusmodi Diametri, earum, quas vulgò dicimus leucas, habeant supra tria millia, hinc facile fit ut credatur Cometarum Jubar immane quantùm extendi. Hoc porro multiplex est, unde varia Cometis nomina. Rosas intermediâ terrâ ex omni parte sol illustrat. Hæ undequaque hispidæ sunt, ut & Disceus discum, hippeus equinas circa se jubas, Pithoetes dolium referens. Major, aut minor fit appendix; densior aut rarior; clarior, vel obscurior; pro diversâ aut terræ declinatione, aut Cometæ materiâ. Hinc Pogonias barbæ longæ; Acontias Jaculi; Xiphias gladii; Ceratias Cornu; Lampadias facis; Cercodes Caudæ similitudinem exhibere videtur. Versùs Polos latius rectiusque lumen diffundunt. In flexu, qui inter Polos est, & Eclipticam, curvum magis, & à solis opposítu deflectens; secundum ejusdem flexûs longitudinem lucidum magis & angustum. Quaquaversùm sint crines, semper in Plagam tendunt à sole aversam.

V.

NIHIL in Cometa Principes potiùs quàm Privatos, aut unumquemvis quàm universos respicit. Si quid peccat Cometa, sibi peccat, omnemque erroris sui pœnam luit: perit enim paulatim sidus illud crinitum. Quæcumque tamen illius partes à proximis orbibus detrahuntur, hæ protinùs unà cum vortice, quem

ingrediuntur, agitatæ, motum in illo priſtinum recipiunt. Vis autem Cometæ, ut & ſiderum omnium propriis ipſorum radiis circumſcribitur. Nihil enim præter hoc, quod diximus, lumen à cœlo in nos influit. Quidquid præterea de illâ vi, quas Influentias vocant, commenta eſt impunitas vaticinandi, nugæ, inania ludibria, vanitas occupatiſſima Mortalium, quibus non ſatis eſt malorum, niſi & falſam inſuper terroris imaginem ultrò ſibimet objiciant. Hinc Genethliacorum, & Aſtrologorum quorumcumque Judiciariorum Ars omnino ſubdola, & fallax, & ſolis credulis Idiotis fide digna. Cometæ radii utpote à nobis longiùs diſſiti incaſsùm agris ſterilitatem, nobis morbos, aut bella portendunt. Popularibus enim morbis anſam præbent aut communis victûs depravatio; aut aëris inclementia inſignis; Bellis verò tàm exteris quàm domeſticis privata civium, aut publica Principum Odia, ac Jurgia, in quæ nullum Cometis jus eſt: nullâ ſiquidem ſui parte hæc inferiora attingunt, nec eatenùs attingere valent, ut vel tantulum hîc afferant perturbationis. Quocumque igitur in ſigno Cometa ſit, in quaſcumque Cœli partes ſe ſe jaculetur; quamcumque cum Planetis conjunctionem aut cognationem habeat, aut impotens, inerſve ſemper erit; aut benignus; certè numquam maleficus. Nec uſquam Bellicum canet vel Marti Sociatus, etiam juxtà Caput Gorgonis, aut in ſignis Armatis. Nec Barbaris, & Mauris minùs jam iratum eſt Cœlum, quamvis à Cometa nunc nunc non premantur.

*Non ergo Cometa morborum prænuntius.*

Proponebat Pariſiis AUGUSTINUS LIPPI, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1699.

---

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.